

V c
3561



Ch. 30



H. 20, 17.

Vc
3561

AMARANTHUS

Semper-viridi

RUTÆ SAXONICÆ

intextus :

hoc est,

CARMEN PANEGYRICUM,

DIVIS MANIBUS

ET

ÆVITERNUM VICTURÆ GLORIÆ

PRINCIPIS

SUPRA LAUDEM ET FATI ARBITRIUM

SERENISSIMI, CELSISSIMI AC POTENTISSIMI

DOMINI, DOMINI

IOHANNIS GEORGII I.

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ

AC MONTIUM DUCIS,

S. ROM. IMP. PRÆFECTI PRÆTORIO, ET IIX.VIRI

ELECTORIS VETUSTISSIMI,

LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ,

UT ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURGGRAVII MAGDEBURGI,

COMITIS DE MARCA ET RAVENSPURGO, DOMINI IN

RAVENSTEIN, &C.

PATRIS PATRIÆ

DESIDERATISSIMI,

ACERBISSIMO TOTIUS GERMANIÆ AC ECCLESIAE

ORTHODOXÆ LUCTU, PIE AC PLACIDE

DRESDÆ DENATI,

A. O. R. cIo Idc lvi. IX. IDUS OCTOBR.

HOR. QUASI V. VESPERT.

IN GYMNASIO HALLENSI

IN SPLENDDO VIRORUM MAGNORUM CONSESSU

SUBJECTISSIMI CULTUS TESTANDI C.

Exhibitum

D.IIX.IDUS NOVEMBR. ANNI EJUSD. a

FRIDERICO CAHLENO, M. & P. L. C.

RECTORE.

Impensis JOH. GEORGI SCHWANDERI, Bibliop.



*REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO
ATQUE CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,*

DN. AUGUSTO,
POSTULATO ADMINISTRATORI
ARCHI-EPISCOPATUS MAGDE-
BURGENSIS, PRIMATI GERMANIÆ, DUCI
SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM,
LANDGRAVIO THURINGiÆ, MARCHIONI MIS-
NIÆ, SUPERIORIS AC INFERIORIS LUSA-
TIÆ, COMITI DE MARCA ET RAVENS-
BERGA, DOMINO RAVEN-
STEINII, &c.

*PRINCIPI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO*



Vitam ac felicitatem
florentissimè stabilem!



Enstruus hic dies est, PRIN-
CEPS Celsissime, Domine clementissi-
me, quo caelestem suam animam, tot He-
roicis virtutibus insignem, totque defun-
ctam pro publica salute curis atque labo-
ribus, ad omnem aeternitatem duraturis,
Serenissimus, Celsissimus ac Potentissi-
mus DN. ELECTOR SAXO-
NIÆ,

JOHANNES GEORGIUS, MAGNVS, &c.

Illustris. Celsitud. Vrae. Dn. PARENS, gloriosissimæ memoriae,
longè desideratissimus, non sine communi totius Germaniæ deside-
rio, & acerbo Ecclesiæ orthodoxæ ac patriæ universæ luctu ac gemi-
tu, DEO conditori suo piè ac placidè reddidit. Cujus Serenis. Cel-
situd. vitam si nostro nobis redimere licuisset sanguine, & restitu-
ere in patriæ afflictissimæ solatia **MAXIMUM SECVLI**
PRINCIPEM, quotusquisque esset, qui non ultrò in se has pi-
etatis partes suisset recepturus? Nunc cum per conditionem huma-
nam id fas haut sit, oportet omninò, quod solum relictum nobis est,
sacrosanctam habere **EJUSDEM** memoriam, totque divina in nos
collata merita ab oblivione, quantum pro se quisque poterit, vindi-
care: quanquam per se majora & excellentiora sint, quàm ut huma-
no describi calamo, vel etiam à vastitate temporum hauriri possint.

Quæ tantæ rei sublimitas quoq; deterrere parvitatem meam
debuisset meritò, ne beatissimi Herois immortalẽ gloriam culpâ
ingenii deterere præsumsisset, præsertim cum tot primaria seculi in-
genia omnes nervos suos in hoc unum sint intensus: Pervicit tamẽ
PIE.

PIETAS & GRATITUDO humillima, sanctissimis MANIBUS
debita, ut cum in Electorali ditione natum me juxta ac educatum,
bonis literis in Schola Episcopali Martisburgensi imbutum, ibidemq;
triennali munificentia Electorali sustentatum recordarer, ingratis-
simi civis me subiturum notam crediderim, si tanti luctus securus,
mœrente ac lamentante Universâ patriâ, solus vocem tenerem.

Hunc exilem igitur ingenii paupertini fœtum, quo Serenisf.
DN. ELECTORIS BEATISSIMOS MANES supremum in
publico Magnorum & Doctorum Virorum confessu salutavi, gra-
tiosissimo Illustrisf. Celsitud. V. ad quam paternæ illius gloria perti-
net hæreditas, conspectui subjectissimâ religione sisto, lucemq; peri-
clitari permitto, humilimè obsecrans, ut augustissimo gratiæ suæ
vultu quaecunq; isthoc Panegyricum respicere, dumque referendæ
æternis meritis gratiæ Exemplum Juventuti Christianæ subjicere
laboro, hunc conatum & adfectum humilimum probari sibi clemen-
tissimè patiatur. De reliquo in vota cogo, quibus exprimendis
infelix hic calamus non sufficit, precor que devotissimè, ut Divina
Bonitas gloriosissimo beatissimi DN. PARENTIS Funeri
largiatur, Poëta verò,

levem & sine pondere terram,

Spirantesque crocos, & in urnâ perpetuum ver;
aut potius, ut christiano stilo convenientius loquar, tranquillam in
tumba Electorali quietem, & letissimum olim ad vitam gloriosam
reditum. Illustrisf. verò Celsit. Vrx. Totique Illustrisf. DOMUI vi-
va solatii cœlestis adspiret fomenta, Eandemque pacato rerum statu
Ecclesiæ, Patriæ, Nobisq; omnibus quàm diutissimè superstitem ac
florentem servare clementissimè dignetur. In quo calidissimo Voto
lubens desino

Reverendisf. atq; Illustrisf. Celsitud. V.

humilimus cliens

M. FRIDERICUS CAHLENUS P. L. C.
Rector.



FORTUNANTE CHRISTO!

Quis mea Pierios meditantia pectora lusus
Invasit nec opina dolor? quis tantus ab alto
Corde tremor, subitig; in jusso lumine fletus?
Cur pia pullatam sumit sibi Patria vestem?
Cur gemit & dolet insolitum? quænam invida fata
Non expectato commutant gaudia luctu?
Fallor? an AUGUSTUS-Princeps, Celsissim^o Heros,
Delicium Gentis, nostræ Spes optima terræ,
Vestitu atrato magni nova signa doloris
Edit, & illustris mœrorem concipit Aula,
Funeris indicens patrij monumenta per oras
Saxonicas, simul & solennia iusta requirens?
Menstrua namque dies fuit hæc, quo Cæsaris
Atlas,

10

Romani decus Imperij, Seniorque verendus
JANUS obit, Saxo! Dux Ensigner ille GEORGUS,
Princeps ante alios fama super æthera notus,
Jam senio gravis & meritis, fessusque labore,
Manes Heroos radiantibus intulit astris.
Hinc velut ad tumulum, divinaque Principis ossa
Adsumus, ac meritos cineri publicamus honores,
Exsequiasque umbris ferimus: solatia luctus

20

A 3

Exigua

Exigua ingentis, PATRIÆ sed debita PATRI;
Ut seri quondam possint meminisse nepotes
Factaque Virtutesque Ducis, pariterque sequantur.
Nulla superstitione jubet hoc, nulla in scia veri
Religio: sed PATRIS amor, sed vivida virtus
HEROIS, totque augustis exercita factis.

Sic olim imperij trabeam sceptrumque gerenti
Augusto solenne sacrum statuere Latini,
30 Jurandasque novi per nomina numinis aras.
Sic & juleo nato Tibi sanguine, Cæsar,
Debita Romulidæ solverunt justa, focosque
Ante sacros Divo solennia vota dedere.
Sic pius Æneas, heros pietate decorus,
Justa patri Anchisæ solvit, sacravit & aras.

Nos etiam, melior quorum sententia menti,
Saxonix Ensisiferum, majorem carmine Patrem,
Ereptum nobis, nec jam cælestibus ullis
Debentem, haut vano moesti deflemus honore:
40 Quem non virtutis, quem non pietatis egentem
Abstulit atra dies, & funere merfit acerbo.
Nam non iste dolor solos attingit alumnos
Saxonix: dolor est Germanis omnibus idem;
Heu mihi! tam magno sublato Principe, quantum
Misnia præsidium, quantum Germania perdis?
Quod decus & columen verax Ecclesia perdis!
Quantum præsidium Patria & Respublica perdis?
Hic plus Pyramidum sacris, plus vellere Phryxi

Per.

*Perdimus. Alternis non hæc Fortuna rependit,
Non Labor, Herculeis non ipsa industria nervis.
Omnibus est nobis major jactura sepulcri
Et casus, DUX MAGNE, tui, quàm sensa capeffant.
Quare agite, O Proceres! Patroni Gymnados
hujus,*

*Magnificique Viri, quos Virtus entheat, & quos
Mens dudum niveis transvexit ad astra quadrigis,
Tuque Novensilium non infitianda sororum,
Docta cohors, pubesq; sacris addicta Camœnis,
Huc agite, & pullâ velati corpora veste,
Evinctique simul cupressi tempora ramis
Ore favete omnes; tristique ex ordine cœtus
Omina cum voto nostris date candida cœptis.*

*Dicam summa sequens tantum fastigia rerum,
Multaque præteriens aliis memoranda relinquam.
Nam quid ego invitâ mediter testudine laudes
Exæquare Ducis, meriti & præconia tanti?
Non opis est nostræ dignas persolvere grates
Manibus excelsis, aut carmine didere famam,
Solis in occasu quæ notum fecit & ortu
Enliferum nostrum. Faciam pietate iubente,
Quæ potero: Sed Vos, precor, adspirate canenti.*

*Attamen unde tuas, Dux ô Cellissime! laudes
Ordinar, aut quonam supremo fine quiescam?
Illustresne animas, Widechindaq; nomina, & ingens
Timonis decus, unde Tibi descendit origo*

Per

Per tot Avos, repetam, pugnas & facta reponens?

Longa Patrum series; longa ævi linea; longæ

Ambages: dudum hæc sunt decantata per orbem.

Et quis tot Proavos, tot avito sanguine ductos

Heroes memoret? quis tot prælustria fatu

80 Nomina Marchiadum, tot JANOS, tot FRIDERI-
COS,

Saxoniæ ENSIFEROS, genus altâ à stirpe Deorum?

Hoc alii, venam queis mens divina ministrat,

Expediant: satis hic si proxima nomina tangam.

Bellaque nec referam, nec summa pericula vitæ,

Quæ Proavi verâ pro Religione tulerunt.

Cum DEUS immensâ nostri bonitate misertus,

Cimmeriis velut è tenebris & carcere cæco

Præsulis Ausonii Germanis vellet in oris

Salvificamque fidem, purumque reducere verbum.

90 Horum primus erat FRIDRICVS nobile lumen,

Terrarum, Sapiens Dux, Illustrissimus Heros,

Quo magnomagnus Duce prodiit ille LUTHERUS,

Eliæ mentem similis, Zelumque flagrantem,

Ausus se primum Papali opponere monstro.

Tunc primum cælo caput extulit aurea, quæ nunc

Religio totum sincera perambulat orbem.

Hoc functo frater Saxo tulit alter habenas

JOHANNES Constans, hæres pietatis avitæ,

Cæsare qui coram Imperii totoque Senatu

100 Non veritus Christi Verbum fuit ore fateri,

Multis

Multis hostili frustra freudentibus irâ.
 Manibus æternùm benè sit, Dux inclute, sanctis!
 Nec Princeps Te JOHANNES FRIDERICE tacebo
 Pectore magnanimo, cui vix similem ulla tulerunt
 Tempora, qui pietate gravis vel fundere vitam
 Et fortem vera pro religione cruorem
 Promptus eras, mortemque DEI pro laude pacisci.
 Propterea serpunt circum tua tempora lauri
 Victrices, sanctis que micant tua nomina fastis,
 Dux pie, Dux fortis, qui cælum laudibus æquas. 110.
 Marti potens claro quid non Dux præstitit ausu
 MAURITIVS? quâ templa pius ratione scholasque
 Non exornavit? quibus unquam sumtibus ille,
 Ut sacra florent passim inviolata, pepercit?
 sed Mors, quæ nihil esse diu sinit invida magnum,
 Pro Patriâ intrepide pugnans vulnere ademit,
 Vix ostendissent cum fata immitia terris:
 Cujus non peritura ullis stat gloria seclis.
 Quid Te, commemorè, Dux Augustissime, Princeps
 AVGVSTE ELECTOR, dudum fax addita cælo, 120.
 Electoris Ave extincti, pia fama nepotum,
 Cui pater ALBERTVS, Misnæ Marchio terræ,
 Imperii dextram Cæsar quem jure vocabat:
 Et FRIDERICVS avus: cui Margaris Austria con-
 junx
 ERNESTVM primo peperit castissima nixu,
 Imperij Enfigerum: patrium genus unde nepoti
 B Surgit

*Surgit JOANNI Ensifero Sic sanguine ab uno
Marchiadum geminos diducit linea ramos.*

His patribus sate, quàm felix, AUGUSTE, fuisti?

130. *Tu belli rabiem fregisti, pacis amore,
Te Duce consedit penitus furor iraque Martis,
Ac omnis longo solvit se Misnia luctu,
Quæ primam, Dis auspiciibus, sperare salutem
Cæpit, & afflictis melius confidere rebus.
Non alius toto fuit olim cultus in orbe,
Augusto Imperij latisima frena tenente,
Cæsare: cum diras ferro & compagibus arctis
Clausisset belli portas. Nam nomen in omen
Transtulit AUGUSTUS, laudesque animumque be-
nignum.*

140 *Cæsaris Augusti, AUGUSTUS Dux Ensifer auxit,
Relligionis opus mirè Dux inclytus auxit:
Leges Saxonix publicatas auxit in oris:
Auxit Apollineos præ largo munere cultus.
Et qui cuncta queam stricto comprehendere versu
Facta decora Ducis, dudum quibus ivit ad astra?
Ast fuit! & fatis placidè concessit ad axem;
Cujus in æternos durabit fama nepotes.*

*Excipit hunc Gnatus, CHRISTIANUS nomine
Primus*

*Princeps elogio major, Virtute decorus,
150. Delicium patriæ, Romaniq̃ue Ensifer orbis,
Secula jam dudum cuius sunt fessa stupendo*

Illu-

Illustres animi dotes, & fortia facta.
Hic gemino partu, celsa cum Matre Sophia,
CHRISTIANVM dedit in lucem JANVMq; GE-
ORGVM,

Fratres stirpe pares, similes illustribus ausis.
Ille ubi Enfigero Patri successit honore,
Terror erat Turcæ, Christiani nominis hosti,
Acer & ingenio, sollers & promptus agendo,
Sobrius ac prudens, veræ pietatis amator:
Non tamen ipse diu patrie moderamina gessit, 160
Enfigerique decus summum: Nam falce resectus
Mortifera, Fratri Patriæ concepit habenas.

Illustres cujus Manes in pace quiescant!
Editus his igitur Majoribus Enfiger Heros,
Stemmata de tanto Natalibus atque superbit.
O felix! ô Magna dies! o Numine plena!
Digna ô Hydaspes signari in secula gemmis,
Quæ Tibi, Dive Pater, tam faustos annuit ortus!
O nimium fausti, qui Te genuere, Parentes!
Heroes salvete! Deum genus! inclita fastis 170
Nomina, quæ dudum complerunt secula fama.
Patribus his tantis in luminis editus auras
Illustris Princeps, sacrâ Baptismatis undâ
Lotus, quò veterem mersando extinguere labem
Posset, & æternam credens sperare salutem.
Mox accepta sibi generosa seminamentis
Fovit, virtutem ceu Matris ab ubere sugens

Inque

Inque dies crevit pietate & amore Parentum,
 Atque utinam PATREM longævum fata dedissen.
 180. Et non tam subito jus sissent cedere terris!
 Jusserunt tamen heu! dum vix sex viderat annos
 Hic Puer, & faciem poterat dignoscere Patris.
 Ergò piam matrem Gnati pia cura SOPHIAM
 Sollicitat, patria ut benè per vestigia ductus
 Illustrare Domum, factisque extendere laudem,
 Posset, & erepti foret Hic Patris inclytus heres.
 Nec frustra fuit hæc pietas. Tuæ, Diva SOPHIA,
 Dat rata vota DEVS Te primum hortante paternas
 Ausus inire vias, altæque incumbere laudi
 190 Filius ille tener cœpit: Tibi, magna Dearum,
 Acceptum ferimus, quicquid veneratur in illo
 Orbis, & augustæ celebrant præconia fame.
 Sis benedicta DEO: Mundo laudata per ævum!
 Post ubi bullarudi detracta est aurea cordi,
 Nulla voluptatum delinimenta capeffens,
 Non otij fœdâ pueri sectatus amurcam,
 Sed magis addidicit cœlestis semina verbi
 Imbibere, & vanos hominum contemnere mores,
 Nobilis imperio jussus parere Magistri
 200 Qui præcepta dabat, Pelidæ qualia Chiron,
 Qualia Alexandro dedit editus ille Stagirà.
 Sensit id Orbis ovans; Mater dedit incluta plausu
 Letitiæ pia signa novæ, licet orba marito:
 Pergite sic Gnati, patrias sic pergite laudes,
Inquit

Inquit, & hæcce via est, quæ vos deducet ad astra.
Vos Avus AVGVSTVS, vos Major Avunculus illo
Excitet, & stimulos virtutum in pectore verset.
Nobilitas non sola venit de sanguine prisco:
Nobilior multò est, quisquis transgressus Avorum
Facta sui Generis veteres geminavit honores.

210.

Sic ait: illi instant operis, & jussa capeffunt,
Invigilantque libris, doctas meditantur & artes,
Vnde animo pudor ingenuo, tranquillaque morum,
Temperies, atque antepilos sapientia velox.
Non erat huic studium, sua tempora fallere somno,
Non Genio indulgere suo, vinoque putere,
Et risum captare jocis, minimeque virili
Comere munditie vultum. Laus maxima sanctas
Fundere posse preces, Virtutis amore calere,
Et Proavum titulos, laudesque decusque mereri.

220

Ingenium excellens, magnæ & vis indolis illum,
Jam juvenem stimulans, laudumque arrecta cupido,
Nobilis urfit Avi Patrisque incumbere fame.
Ergò domi haut poterat se sistere spiritus ingens;
Finibus egressus patriis, peregrina videre
Regna cupit, patrios nunquam liquisse penates
Turpe ratus. Felix unâ prudentia sede
Non benè combibitur, variis sed quæritur oris.
Italiam lustrare juvat, Romamque videre,
Ausonioque Jovi non verum reddere cultum.
Salva fides etenim mansit, mens conscia veri

230

Numi-

Numinis, & pia Religio non illita fuco.

Ergo bonis avibus letum ventisque secundis
Acceleratur iter, claras Germanidos oras
Lustrat, & hinc Vastam Venetorum pergit ad urbem;
Surgere quam mediis DEUS ille Tridentifer olim

Indignatus aquis fuerat; iam letus honore
Augustasque domos, turrets & templa Deorum
Et moles operum, classes, navalia, portus,

240 Luminibus lustrat rapidis, regimenque decorum.

Tum miratur opes, artes, spectacula rerum,
Quae majora fide sunt omnia. Roma filescat
Se victam Babylon fateatur, & incluta Memphis;
Et quaecunque crepant totum miracula per orbem.

Sic DEUS aligerum sancta comitante caterva
Duxit, & inde domum felici sorte reduxit

Cum plausu illustri Matris Fratrisque secundo.

Quod pietas meruit, sancta & constantia mentis.

Famque redux factus, vitæ tranquilla perosus

250 Otia, desidiaque hostis, durare labori

Membra, ferasque sequi venando, retia cervo

Tendere, sub nigris prædura cubilia sylvis

Querere, sub nivibus non longos ducere somnos

(Namque diu virtus operosa quiescere nescit:)

Cura fuit, latus Fratris stipare frequenter,

Consiliis hæerere togæ, pacemq; sequestram

Diligere, & leges patriæ perdiscere sanctas.

Dumque alacris sylvas transmittit, & æra rauco

Sollicitat

Sollicitat cornu, seruosque cubilibus arfos
Et rabidos excire lupos, excire frementes
Gaudet apros Princeps, quatiens venabula ferro,
Advolat aëreis Amor ales ab aethere pennis,
Advolat, Igne Ducis subito præcordia tangens.
Protinus occultus vapor ossa per intima currit,
Paullatimque novos sub pectore suscitatur ignes,
Et fomenta rapit, castumque latentibus haurit
Cor flammis, morbi medicamina querere suadens.
Risit Amor, letusque novis successibus infit:

260

Dux animose, Tui Nymphæa levamen amoris
Et medicamen erit, quã Würtembergica monstrant
Arva, SIBYLLA ELISA, Tui pars altera cordis.

270

Dieta fides sequitur: flammis uruntur iisdem,
Pectora bina: thori cœunt in fœdera dextræ
Egregiique Ducis, generosæ & pectora Sponsæ,
Unanimi ligata fide, pietate, pudore.

Letus Hymen, quem nulladies, sors nulla, nec ipsa
Solvere Mortaqueat: quamvis mox solverit illum.

Heu spes fallaces! heu vota caduca parentum!
Nondum anno conjuncta viro, nec prole relictâ

Tollitur hæc Conjunx mœstum linquitque maritum.

280

Quid faciat Princeps, perculsus turbine fati
Tam subiti? oblitusne Sui, Generisque decori,
Pectora mœstitiâ nil proficiente fatiget?

Ergo secundus amor castus, vereque secundus
Occupat hunc animum, Generis spes incluta cogit,

Ut

Ut thalami leges, & vota secunda capeffat
Saxonie Princeps, Sponsam de stemmate prisco
Marchiadum sibi conjugij per fœdera iungens.
ALBERTUS dabat banc FRIDRICUS Marchio
Gnatam.

290 MAGDALIS hæcce SIBYLLA fuit, de stirpe
Ducali

Brandenburgiadum, quam dudum splendida fama
sustulit, & fecit belloque togaque celebrem.

sponsa hoc digna Viro, vocem, roseumque colorem,
Virtutesque pias compar, blandumque pudorem,
Mens animi sacrata DEO, simul una voluntas,
Relligionis honos idem, par cura fidesque.

Nunc parili senio Vidua atque dolore superstes,
subscripsere poli pactis, foetumque dedere,

Connubium, hinc videas florescere germina Rutæ

300 Saxonice, hinc crevit series numerosa nepotum.

Quod mundus sine sole, polus sine sidere, tellus
Incola cui nullus, sine frugibus arbor, & hortus
Floris honore carens, sine gramine pascua lata,
Grex sine foeturâ, pullis sine cassa volucris,

Hoc sine progenie domus est, lectusque jugalis.

DENA datur PROLES, cœlo concessa benigno,
Ternam Mors rapuit, sed adhuc septena superstes
Mansit, & hinc latè se Stemmatibus extulit arbor.

Princeps primus erat tener heu! defunctus in alvo

310. Materna, usque novo torquens mœrore Parentes.

Mox

Mox meliora DEUS: caelo vidente SOPHIA
ELEONORA datur, magni solaminis instar.
Excipit hancce MARIA citò ELISABETHA Ducissa,
Illis consimiles, quas aurea protulit aetas.
Funere sed raptus CHRISTIAN-ALBERTUS
acerbo

Curas heu! renovat Patri, magnumque dolorem.
Ne meliore tamen sexu stirps tanta careret,
Egregii dantur divino munere Nati,
Vulnera qui curent, obitu percussa priorum,

Qui spes sint Patrie, Patris & jucunda Voluptas.

Nascitur hinc JANUS felice GEORGIVS ortu,

Saxonici fax diva Soli, nova gloria Rutæ,

Stemmatis æterni magnum decus, alter Achilles,

Qui quondam PATRI succederet Ensifer hæres

Grandævo, & Patriam justis moderetur habenis.

Ceu modò fata ferunt, sic disponente JEHOVA.

Qui, precor, ut vivat numerosos sospes in annos,

Proferat imperium per tot discrimina rerum,

Pacatumque regat patriis virtutibus orbem.

Editur AUGUSTUS dias in luminis auras,

Princeps, qui Veterum nulli pietate secundus,

Qui gravis & placidus, quo sospite cuncta vigescunt,

Ut vigeant posthac vivo hoc per secla precamur;

Tertius hunc sequitur CHRISTIANUS in ordine Fratrum

Celsorum, vitam stabilem queis Fata dedere,

Præditus haut minus eximiis Virtutibus Heros.

C

Ille

Ille diu intersit terris, vivatque beatus!

Excipit hunc ortu **MAGDLENA SIBYLLA**

Ducali

Clara puella, pia similis que per omnia Matri.

340 Tum datur illustris Princeps **MAVRITIVS** alter

Corporis ac animi præcelsis dotibus auctus,

Præcelsique Patris non infitianda propago.

Qui sospes vigeat, Pylj vivatque per annos!

Illustres animæ superisque parentibus ortæ,

Heroum quadriga, sacris celebranda Camænis:

Quam memori recinet cultu quoque Musa per ævum.

Sed minus huic vivax **HEINRICVS** subditur infans

Ultimus, & quem vix ostensum fata tulere.

Hæc series Tibi, **DIVE**, data est, & origo Nepotum,

350 Queis Genus omne Tuū, queis incluta Rota superbit;

In quibus & vives, mundi dum machina stabit.

Quot lacrymas fundunt modò, quot suspiria mittunt,

Munera tot busto cumulant, pietatis & aras

Tot condunt, nullo temerandas turbine fati.

Sed nunc tempus erit propiore videre theatro

Enfigeri laudes, præclaraque dicere facta.

Quis meritum tam grande **DVCIS**, quis tradere fastis

Et donare ævo? qui ferre Minoribus olim

Annales poterunt, Vatumque sacrare labores?

360. Da veniam, da, Summe Ducum: non pectora nostra

Non Te hominum laudes capiunt: superamur, & omni

Nos Tua parte premit numeroso examine Virtus.

Erg

*Ergo ubi iam cœlum cognataque sidera adisset
CHRISIANVS Frater, Septemvir & inclut9 Heros,
Ad trabeam fascesque pares Te fata vocarunt.
Quid prius hic memorem? num Relligionis bono-
rem?*

*Certat huic pietas, à me dicique requirit.
Justitiam celebrem? tardet clementia vocem.
Quàm charus Superis fueris? telluris amores
Et populi non emta fides mea dicta moretur.
Armati referam laudes, dextraque potentis
Orsa canam, & quantus fueris per fulmina belli?
Me pacata premat virt9, & purpura Martem.
Omnia sed dicam, si dixer0: MORTVSEST, PAN.
Omnis enim Virtus belloque togaque decora
In Te visa fuit, quæ tanto Principe digna
Attonuit mentes, dedit & transcendere fatum.
Tu Dec9 Omne Tuis, Patrie Dec9 Omne fuisti,
Tu DECVS IMPERII, quo salvo ECLESIA totum
Expandit gremium, viresque accepit ab alto.
Omnis eras, Princeps, in Relligione tuendâ:
Heu! quos non casus, quæ non ad versa tulisti
Ob patrie pietatis opus, Divique LVTHERI
Doctrinam, ætheriæ renovatam è sedibus aulæ.
Quanta exantlasti pro libertate pericla?
Cæsareis aquilis, pro queis Tua sæpius arma
Antea pugnarant, Romanæ & bella cohorti
Tunc intentanti, pro Relligionis amore*

370

380

065

Objicis ipse caput niveum propriumque cruorem,
390 Mauritio similis, fortique gemellus Achilli,
Lipsia Te stupuit pugnans cominus ense.
Cumque DEO, & SVECI Regis VICTRICIBUS
ARMIS,

Proq; ARISq; FOCISq; Tuæ non parcere Vitæ,
sed non sponte manus in tantas ducere cædes.
Pax frustrata togam belli fervore paranda est.
Tum victor populus Tecum pia iubila tollit,
Relligiosa quidem, que is se victoria miscet,
Augustana Tuis CONFESSIO reddita terris
secula prima tulit, Te tantum nacta Patronum,
400 Cuius vindiciis Ecclesia tuta quievit,
Atque Evangelicæ vis floruit usq; pupillæ.
Facta redux pietas, pax aurea reddita terræ.
Non hoc absque DEO, meliore & Numine gestum est.
Quid memorem? quo, Dive Pater, munimine dextræ
Commissum fidei populum, gentemque togatam,
Auxilio Superum servaveris, atque paternè
380 Rexeris, in publicam direxeris omne salutem,
Jus inopi pariter divideris atque potenti,
Quis fuerit candor Tibi, quæ constantia mentis,
410 Quæ se blanditiis nunquam sit passa moveri
Necve minis ullis, & quam nec prospera sortis
Mutarint, nec subruerint quoque fata sinistra.
Omnibus ut Te unum posses impendere rebus
Et pariter belli laurum, trabeasque mereri

Pacificas

*Pacificas? Tibi namque, Parens, Germanidos ora
Nobile pacis opus, donum caeleste JEHOVÆ,
Imputat acceptum, velut Offenaburga fatetur;
Ut nunc infesto fugiat procul agmine Mavors,
Ut Furor & Rabies, præcepsque Audacia, & Iræ
Et Metus, & malesuada Fames, & turpis Egestas,
Horrendæ visu formæ, queis patria quondam
Infestata fuit, procul hinc Te dante faceffant.*

420

*E contra ut virides saltus, & vallis opacæ
Frigora & argutæ blanditos murmure rivos
Upilio teneat, pecus ad sua pascua ducens,
Ipsi etiam leti spe divite rura coloni
Solentur patriæ, festis discursibus urbes
Cum plausu inuisant, paci que adsuescere pergant,
Ut pietas, ut cana Fides, ut leta rediret
Justitia, & terras iterum dignata tueri,*

430

*Suppressas Leges, expulsaque iura referret,
Post Numen Tibi fert acceptum Patria soli.
Hinc Tibi servatæ persolvunt præmia gentes,
Optantes umbræ tenuem & sine pondere terram
Spirantesque crocos & in urna perpetuum ver,
Quæ Te non secus ac sanctum coluere Parentem.*

*O summos transgressæ Duces! quid Patria
reddet*

*His meritis? Cæsar, cui semper fidus Achates
Ac Consultor eras tanto pro munere reddat
Num magnos titulos, & summi nomen honoris?*

440

An

An fasces, populosque novos? debere putabunt
Quaeque soluta Tibi: nova non invadere sceptrum
Mens Tibi erat, nec Te regnandi sacra cupido
Impulit, oblatam velle acceptare Coronam.
Atque ideò major tua Gloria crevit in orbe
Teutonico, Princeps, serum memoranda per ævum.
Nulla diu vis stare potest, Non vera potestas,
Qua per damna venit, populorum & parta cruo-
re est.

Hic mihi major erit, contento vivere fato
Qui scit, & in mentes hominum scit ponere fasces.
450 Non sic exuviae tetractaque ab hostibus arma
Auratique axes, spoliisque onerata superbis
Fercula, palmatæque togæ: non laurea victrix
Non auri radiatus honor per tempora florens,
Tam decorant, quàm quæ servatis Civibus olim
Querna corona data est. Gaudete ô secula nostra!
Vos etiam dabitis venturo exempla nepoti,
Hujus & Ensignis referetis nomina fastis.
Cui tam juris amor, quàm clara modestia mentem
Flexit, ut oblatos summos reverenter honores
460 spernens, innueret sese majoribus aptum.
Namque vice gemina sceptrum pro Cæsare gessit
Et tamen hos summos moderatè sprevit honores.
Quid loquar, ingenuas ut Fautor amaverit artes,
Magnarum largitor opum, largitor honorum.

Ut

*Vt precibus lenis fuerit, nec fontibus asper,
Infragilis, constans, mutari nescius, omnes
Fortuna ad casus, dura omnia, ritè paratus
Ut plebi tutor miseræ, quàm seua tyrannis
Expulit, exiliumque repentè capeffere iussit,
Ut vitiis hostis Justo defensor, egeno
Perfugium, tristi solamen, gloria læto.*

470

*Cætera prætereo, grandi memoranda coturno,
Gesta DV CIS, consulta Domi, tractata per omnes
Imperii partes. Neque enim brevis hora laborum
Cunctorum meminisse sinit: quæ tangere saltem
Cogor, ut angustæ jubet hic me terminus hora.
Nec mihi si centum DEVS ora sonantia linguis,
Ingenij vires, totumque Heliconæ dedisset,
Pro merito possem laudes, & facta referre.*

480

*Et Tant9 moritur Princeps, mundumq; relin-
quit?*

*Præcipe, Melpomene, lugubres præcipe cantus!
Quis desiderio tam chari Principis agro
Quis modus esse queat? lugubres præcipe cantus,
Præcipe, Melpomene: liquidum cui Phœbus Apollo
Cum cytharæ vocem dedit; Ergone Principis hujus
Perpetuus sopor augustos urgebit ocellos?
Cui pia canities, pietas, Themidosque sorores
Iustitia, ac antiq̃ua fides & cultus honesti,
Quando parem invenient nostri è mortalibus ævi?
Heu miseros! quàm præcipites labentia casus,*

490

Secla

Secl'arotant; quanto volvuntur turbine fata?
Quàm non fixa datur fragilis fiducia sceptri?
Eheu! quod nulli fas dura recludere fata,
Nec datur Orphæo manes educere cantu!
Non prius Herculeis reparet sua fata lacertis
Fœmina sublato mœrore perempta mariti:
Nec prior Euridicen pallente reducat ab orco
Threicius Vates, nostrum referatque sub axem,
Quàm, Manes Dux alme, Tuos excire sepulcro
500. Approperem, & nostro tua fata retexere cantu.
Sed non impediunt fati decreta sinistra
Vota hominum, leges mortis nec tollere possunt.
Hinc tantus patriæ luctus, suspiria tanta.
Nos quoque nunc ad busta DUCIS, pompeque su-
preme

Ex sequias muti hæremus: dolor ille querelis
Altior est, lacrymasque animosus ferre recusat.
Ipsa mali mensura stupet: tantamque ruinam
Non nisi venturos dabitur sentire nepotes.
510. Nam non Ipse suis tantummodo flebilis oris
Occidit; immenso lacrymabilis occidit orbi.
Misnia tota gemit: Nicer aggemit, aggemit Albi
Danubius, largoque humectat flumine vultus.
Plisna gemit, flet Sala Ducem, flet tristis Elister:
Odera dat gemitus: pater indignatur Havelus.
Patria tota dolet, ceu tota in funere præsens
Stat Virtus, stat Relligio, cessuraque terris

En-

Enfigero moriente Fides, dextraque trementi
Non satis equatam retinens Astra bilancem.
Stat pellucenti velatus Candor amictu, 520
Dejectoque in humum pudibunda Modestia vultu,
Et sacris invicta comes Sapientia Musis,
Omnes attonitæ luctu, singultibus omnes
Perculsaque metu suspiria pectoris imo
Invidiosa trahunt, & fletibus æthera pulsant.

Hunc dolet Imperii Romani Maximus Ordo,
Consilioque gravi privatus, & adstite dextrâ.
Sed dolet imprimis Viduata Ecclesia fulcro,
Quam ferro, studiisque piis, ac fortibus ausis
Vim contra, Satanaeque dolos, viresque Potentum 530
Incolumentem asseruit, ne quicquam posset obesse,
Hostis atrox, & Papa ferox, Calvinaque turba.
Ipsa quoque ad Magnos non est pigrata venire
Libertas cineres, dilecti in funere Nati,
Stans conclamat æ similis, mortemque minanti.

Mœrori sed enim quis erit modus? Undiq; tristis
Erumpens sonus, & lamenta carentia voce,
Taxea ferali sociataqueserta cupresso
Non siccant lacrymas, nec fata sinistra morantur,
Spes superest confisa DEO, viget Enfiger alter, 540
Nominè Defunctum qui mente manūque reponit.
Non penitus moreris Senior Dux, JANE GEORGI,
Te vivum sistit series numerosa Nepotum,
Heroumque Genus, viridis pia germina RUTÆ,
D Hæc

Hæc monumenta tui superant illustria busti:
 Utque diu superent, Te supplice voce precamur,
 Qui cœlum nutu torques, ac dirigis Orbem!
Insuper ad tumulum pia Fama loquace susurro
Excubat, & laudes venturo didere seculo
 550 *Gestit post-genitis, & qui nascuntur ab illis,*
 Mille Tibi studiis addicti funus adornant,
 Mille Tibi exilium passi suspiria ducunt,
 Mille tibi viduæ lacrymis gemituque parentant.
 Mille Tibi populi requiem pacemque precantur,
 Nostraque, cui teneræ vitam viresque dedisti,
 Te Clio celebrat submisso munere, tumbæ
 Pallentes violas spargens, viridemq; Amaranthum.
 Ergò mihi salve! Princeps nunc addite cœlo,
 Saxonica æternum Decus aulæ, & gentis a vitæ
 560 *Vvittekindorum non infitianda propago,*
 Jam satur annorum, sat opum, sat honoris obisti,
 Ifaidæ similis, cuius commercia sentis
 Angelicos inter proceres, mentesque beatas,
 Cœlica quæ fidei confesse dogmata pulcras
 Exsuperant candore nives, cœlique serenâ
 Parte DEI adspectu nunc & splendore fruuntur,
 Vosque adeò Manes JANI salvete GEORGI!
 Et tanti memores cœli inter gaudia voti,
 Quos ferimus vobis gratos agnoscite cultus,
 570 *Et grates capite, hæc quas promere pectora, quasque*
Et quales, quantasque potest pia lingua referre
 Immen-

*Immensis meritis. Vobis, dum candida mundum
Ulla colet pietas, dumque instaurata vigebit
Religio in terris, tam pulchri conscia facti
Gloria perpetuas laurus, magnisque triumphis
Æmula gestarum decernet præmia rerum,
Teque Beate canet Princeps, quâ fervidus orbem
Sol videt, & terras Nereus circumfluit omnes
Heroes alios supra, celsosque Dynastas.
Jamq; vale æternùm, placideque quiesce sepulcro, 580
Donec Te Christi reducis vox evocet, atque
Imponat capiti viridi de frunde corollam,
Inter Avosque Tuos summo Te ma&et honore.
Vive, vale æternùm, Dux inclute, JANE GEORGI!
At Tu, summe Pater, cœli terræque Monarcha,
Et Tu Par Patri, totoque antiquior ævo
Mundi, Nate, Salus: Tuque ô qui jungis utrumque,
Spiritus, immittens cœlestem in pectora flammam,
Parce DEUS miseris, tanta succurre ruine.
Vix patriæ pax alma data est Cœlestibus æquis, 590
Nutat & illa tamen passim: nec dum impius ensis,
Totius Europæ lacrymis & sanguine pastus,
Desiit irasci! nondum fatalis Erynnis
Exulat: heu! circumstant nos bella, horrida bella,
Sevit adhuc Ruffus: nondum Thrax occubat armis.
Lurida circumstat pestis, quatit atque flagellum
Tisiphone: Sociosque Lares Discordia turbat.
Subvertine tuas, Rerum sator optime, sedes*

Ac

*Ac pia templa fines? Nec Te telluris amatæ
600 Saxonicique soli miseret? Si flecteris ullis,
Magne Pater, precibus; si Te tua Numina tangunt,
Parce tuo verbo, & propius res adspice nostras.
Da deinde auxilium Pater, & nova sceptrâ benignis
Auspiciis firma, patriæ suscepta saluti.
ENSIGERUMQUE novum, defuncti Patris habenas
Prensantem, rege consilii muminine sancti,
Ut verâ maneat in religione nepotes,
Hic tutamq; Domum videat, regimenq; quietum.
Tum nostrum servato Ducem, Patriæq; Parente,
610 AUGUSTUM, defende Domum, defende tenellam
Progeniem, magnos Aulæ defende Ministros.
Hujus quò curis Ecclesia porrò vigescat,
Florescant artes, Virtus caput efferat alma.
Sera sit illa dies, nostris & tardior annis,
Quæ tantum eripiat terris decus. Omnis in illo
Spes nobis posita est, & in hoc sors nostra recumbit.
Tu custos, vigil, atque tui sis Pastor ovilis,
Vim frange hostilem, & meditantes bella Tyrannos,
Vocem Evangelii puram, quam nulla profanet
620 Vana superstitio, longos tue are per annos.
Saxonice florere sinas sub germine RUTÆ
Jus, pacisque bonum, studium pietatis & artis;
Actandem jubeas heredes esse salutis.
OPATER! O FILI! O FLAMEN! cui Gloria soli,
Soli Majestas & honor cantetur in ævum,*

Vos

*Vos verò, ò Proceres! queis publica sceptrà regendæ
Credita sunt patriæ, publicæ queis cura salutis
Præclaros meruit titulos, atque addidit astris,
Patroni Magni, Tuque ò sacer Ordo Senatus,
Et qui Theiologas sacrosancti codicis umbras
Divina mentes animati Flaminis aurâ
Explicitas scriptis & vivâ voce docetis.
Tu Generose Baro, Veteri spes addita stirpi
Scherffenbergiadum, nostræ pars grata Camenæ.
Vos Hallis reliqui Aonisin, Charisique sacrati
Quos Virtus, pietas, probitas sibi mancupat, & qui,
Grex Pindi, genium virtuti destinat uni,
Atq; animi florem, succumq; ætatis, & omnes
Perpetuis curis doctrinæ consecrat annos,
Seu vos huc pietas, seu mens benè grata venire
Fussit, & Enfigero meritos persolvere honores,
Atque breves nobis impendere temporis horas.
Accipitote pias grates, pia munera mentis
Pro tanto nostri studio, tantoque favore.
Ipse DEUS Vobis, quoniam non possumus ipsi,
Retribuat cunctis, & præmia digna rependat;
Vos superesse diu jubeat, servetque beatos,
Et vel de nostris vestros quoq; suppleat annos,
Concedens seram post turbida fata quietem.
Vivite felices, vestroque favete Poëtæ.*

630

640

650

STILLO-

SYLLOGE BREVIS HISTORICO-
CHRONOLOGICA, VERSUM QUORUN-
DAM EXEGETICA.

VERS. II. *Funeris indicens.*] Aeternis meritis, & Virtuti ad omnem posteritatem commendandæ Serenissimi DN. ELECTORIS, gloriosissimæ recordationis, DN. PARENTIS ET COMPATRIS SUI desideratissimi, *Illustrissimus ac Celsissimus Princeps ac Dominus, Dn. AUGUSTUS, Postulatus Administrator Archi-Episcop. Magdeburg. Dux Saxonie, Juliaci, Clivia ac Montium, &c. Princeps DEI Gloriae & Patrie salutis,* (cui quàm diutissimè superfit!) natus, una cum reliquis *Illustrissimis Dnns. FRATRIBUS*, per totam Provinciam JUSTA FUNEBRIA instituit, d. 5. Novembr. Anni præsentis M. DC. LVI. Concionibus habitis ex I. Chron. XXX. v. 28. Cujus *Illustrissimæ Celsitudinis* in DEUM pietas, & in beatissimos DN. PARENTIS ELECTORIS MANES religio & Filialis *ἁπορῆ* omni seculo transcribenda, & in exemplum posteritati proponenda venit meritò. Cæterum Funeris indicendi vetus Romanorum fuit consuetudo, quibus *Funera Indictiva* erant amplissima, variis ludis & sacris funebribus insignia, septimo, nono, vicesimo vel tricesimo die ab obitu propinquorum vel amicorum celebrari solita, in memoriam & honorem Manium ipsorum. *Vid. Alexand. ab Alexandro Gen. Dier. l. 3. c. 2. Scal. l. 1. Auson. Lect. c. 28. Dempster. l. 5. Antiq. Roman. c. 29. p. 997.*

V. 28. *Sic olim.*] Non Romanorum tantum, sed & aliorum populorum mos erat, optimè de se meritis Principibus, virisque magnis iusta persolvere, & exsequias parare anniversarias, imo & divinis post obitum afficere honoribus; quod de Optimo Principe & Imperatore Rom. Octavio AUGUSTO testatur præter *Sueton. in Ejus Vita, Horat. lib. 2. Epist. 1.*

Præsenti Tibi maturos largimur honores,

Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Vid. Taubm. ad Lib. 1. Georg. Virgil. p. 110. Macrobius. lib. 2. in somn. Scip. c. 17.

V. 31. Sic

V. 31. *Sic & Juleo.*] Julio Cæsari, Dictatori, anniversaria ab Augusto sacra habita fuisse, idem testis est *Suetonius in Jul. c. 88.*
Et meminit *Virgil. Ecl. 5. v. 40. & seq.*

*Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores, mandat fieri sibi talia Daphnis,
Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen.*

Vide sis Æl. Lamprid. Spartianum, & inde Kirchmannum lib. 4. de Fun. Rom. c. 13.

Nomen verò & stemma Julius Cæs. duxit ab Jülo, sive Ascantio, Æneæ filio, juxta illud Maronis 1. *Æneid. v. 292.*

Julius à magno demissum nomen Jülo.

V. 34. *Sic pius Æneas*] Nota pietas insignis hujus Trojani Principis in Parentem Anchisen, quam per totam Æneidem suam Parthenius Vates mirificè commendat: Justorum verò anniversariorum pompam persequitur *V. Æneid. v. 46. & seqq.*

*Annus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo relliquias, divinique ossa parentis
Condidimus terra, mæstasque sacravimus aras.
Jamque dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum
Semper honoratum (sic DI voluistis) habebo.*

V. 60. *Ore favete*] Solennis hæc in sacris obeundis formula erat apud Veteres; FAVETE LINGUIS: quâ vel silentium poscebatur rebus divinis perficiendis; vel ut faustis omnibus, lætisque acclamationibus favorem testarentur præsentibus, rogabatur. Sic *Propertius*:

Quisquis ades, linguis Vir mulierque fave.

Vid. Briffon. Form. Vet. Servius super 1. Æneid. & Taubm. ad V. 71. lib. 5. Æneid.

V. 61. *Cupressi tempora ramis*] In parentationibus, perinde ut in festis ludis, omnis ætas coronata aderat; Hinc parentaturus Æneas Anchisæ patri Trojanos suos ita alloquitur, loco laudato:

Ore favete, omnes, & cingite tempora ramis.

Vid. post. J. Lips. Paschaliæ, & Fautorem nostrum Magnum Dn. D. Job. Ernestum Gerhardum, SS. Theol. in Illustri Salanâ P. P. Dissert. de Corona Nov-Antiquâ,

Præpri-

Præprimis verò Nobilium & Magnorum funeribus Cupressus olim adhiberi suevit, teste *Lucano*:

Et non blebejos luctus testata cupressus.

Vel quòd cariem non sentiat hæc arbor: vel quòd succisa non regerminet: unde & pro funebri signo ante domos funesta ponebatur. Sic 3. *Æneid.* v. 64.

- - - - - *stant manibus aræ*
Ceruleis mæstæ vittis, atraque cupresso.

Ubi *Servius*, *Nascimbenius* & *Hortensius* in *Comment. h. l. p. m.* 460. videndi.

V. 73. *Videchindaque nomina*] *Illustrissima Domus Saxonica* tanta est sublimitas & dignitas, ut antiquitate & excellentiâ stemmatis plerisque Imperii Rom. Stirpibus palmam aut faciat dubiam, aut illam præripiat. Originem quippe non trahit solum ex regio *Stemmata Vitikindeo*, sed etiam sanguinis & affinitatis propinquitate conjuncta per tot annorum seriem fuit cum potentissimis & regiis per Europam Familiis *Hispanica, Neapolitana, Francica, Hungarica, Polonica, Svecica, Danica, &c.* cæterisque illustrissimis Rom. Imp. Statibus, prout ostendit præter cæteros *Elias Reusnerus* in *Enucleat. Stemmat. Videchindæi*. Etenim fœcundissima stirps Ducum & Comitum per Germaniam **WITECHINDI MAGNI** fuit, qui primum Dux Engerensis & Dominus Iburgensis, propter animi fortitudinem & res præclare gestas à Saxonibus **REX** Germanorum salutatus, XVII. prælia cruenta cum Imperatore **CAROLO MAGNO** commisit, donec ad fidem Christianam miraculosè conversus, à Bonifacio baptisatus, ab Imperatore Dux Saxonie ac *Vestphaliae*, ut & *Burggrafius Wettinensis*, insigni candentis equi collato, salutatus, ex vulnere in acie contra Gerholdum Sueciæ Ducem decessit, A. C. 810. Cujus vera effigies adhuc hodie exstare dicitur in vicò Engern/ inferioris Saxonie, ubi primum sepultus, sed postea ab Imp. Heinrico Aucupe Badebornam translatus fuit. Huic continuâ serie ut Duces Saxonie & Westphaliae successere **WITEKINDUS II.** qui Wettinum & Wittebergam condidisse dicitur A. C. 808. stirps regum Gallie & Marchionum Misnie. & ejus

& ejus frater **W**GEBERTUS, Dux Sax. A. 843. Cujus duo
Filii BRUNO, Dux Sax. Conditor Brunsvigæ, & WALBER-
TUS, stirps Comitum Altenburgens. Marchionum Montfer-
rat. & Ducum Sabaudia. A priore porrò oriundi recta li-
nea LUDOLPHUS, tempore Ludovici pii Imperat. OTTO,
A. C. 916. Hujus Filius HEINRICUS cognomento Auceps,
postea Imperator Romanus, per XVII. annos, cujus Filii
OTTO I. à rebus gestis *Magnus* dictus, qui Rex Germanorum
coronatus Aquis grani, & Cæsar renunciatus ab Ordinibus,
æterno fœdere cum Germania junxit Cæsariam dignitatem. Fun-
dator Archi-Episcopatus Magdeburgensis & Primatus Germa-
nia. A. C. 973. qui etiam *Hallam* liberæ Imperialis civitatis
privilegio donasse traditur A. C. 981. *Chytr. Chron. p. 300. Vid.*
Syntagm. Histor. Micralij p. m. 500. Imperavit annos 37. succesit
ei filius OTTO II. *pallida mors Saracenorum* dictus, Imper. II an.
Hujus Filius OTTO III. A. C. 984. propter præclara faci-
nora, *Mirabilia Mundi* appellatus, Imper. 21. annos. Cæ-
terum is WITEKINDUS II. filios habuit FRIDERICUM &
WITEKINDUM III, ab illo oriundus DITGREMUS, ab
hoc FRIDERICUS & DITHMARIUS, cujus filius DIETERI-
CUS I. qui sub exercitu Imperatoris Heinrici in prælio ad-
versus Hungaros propè Martisburgum fortissimè pugnans,
hoc impetravit, ut à Cæsare *Marchio Misnia primus* con-
stitueretur, cujus Majores dicebantur Burggrafii Soraborum.
Hujus Filius DEDO & FRIDERICUS I. Palatinus Saxo, quo-
rum ille genuit DIEDERICUM II. Marchionem Misni. &
Brandenburgi, ut & IV. FRIDERICOS. Illius Filius THI-
MO IV. *Marchionatum Misnia* in Feudum perpetuum à Cæ-
sare *Heinrico IV.* ob fidelem operam bello præstitam sibi pro-
missum, in filium CONRADUM, *Pium & Magnum* dictum, o-
mnesque posteros Saxonix Duces in hodiernum usq; diem
stabili serie transtulit, collatum huic CONRADO per LO-
THARIUM II. Imperatorem A. C. 1126. Namque hunc
exceperunt filii & nepotes linea recta descendentes, OTTO,
Cogn. *Dives*, qui Lipsiam muro cinxit A. C. 1156. fodinas me-
tallicas *Fribergenses* aperuit & *Fribergam* condidit. DIE-

E

TE

TERICUS IV. HENRICUS illustris; ALBERTUS; FRIDERICUS cogn *admorsus*; FRIDERICUS Severus; FRIDERICUS Strenuus, & deniq; FRIDERICUS Bellicosus; *Vid. Reusn. loc. cit. Et Laurent. Peckensteinium in Prosap. Famil. Wittikind. Micrael. lib. 3. sect. 12. Syntagm. Hist. p. 1038.*

V. 90. *Horum primus erat.*] Intelligenda sunt hæc cum respectu ad Doctrinam Evangelico-Lutheranam, quæ sub pientissimo Duce Saxon. FRIDERICO, cogn. Sapiente, ELECTORE IV. primùm effloruit. Alias primus ELECTOR in sua Familia, quem dixi, FRIDERICUS Bellicosus, creatus fuit à SIGISMUNDO Imperat. A. C. 1423. præteritis Anhaltinis & Lawenburgicis. Fundavit *Academiam Lipsiensem. ex Pragensi translata.* Hunc 4. Jan. A. C. 1428. defunctum excepit Filius FRIDERICUS, Placidus, ELECT. II. N. 7. Sept. 1411. Huic duo, (præter reliquos) erant Filii ERNESTUS, N. d. 25. Mart. A. 1441. & ALBERTUS, N. d. 27. Jul. A. 1443. quos Conradus à Kaufung, tribunus equitum, ex arce Altenburgica, absente Dn. Parente, plagio abduxerat, A. 1455. sed singulari DEI providentia liberati, prior in Electoratu successit Illustrisf. Patri A. 1464. defuncto. Frater Albertus, Animosus dictus, (cujus v. 122. Carm. Paneg. nostri fit mentio) *Dextra Imperij manus*, & *Germanicus Rolandus* itidem appellatus, ob insignem fortitudinem bellicam. Gubernator Frisæ decessit d. 12. Sept. A. 1500. Ernesto duo præter reliquos erant Filii successores, prior FRIDERICUS III. ELECTORUM IV. cogn. Sapiens, N. 17. Jan. A. 1463. qui ex peregrinatione à sepulchro Domini Hierosolymitana redux *Academiam Wittebergensem* A. 1502. fundavit. Romanorum Rex designatus ob senectam recusavit, & CAROLO V. hanc dignitatem detulit. Ab hoc laudatissimo Electore B. LUTHERUS, Idolomaniam & Simoniam Pontificiam oppugnare incipiens, masculè defenditur. Placidè obiit d. 5. Maij A. 1525.

V. 98. JOHANNES] ELECT. V. N. d. 29. Sept. A. 1467. Fuit alter Fratrum Illustrissimorum, qui Serenisf. Dn. Fratri cœlibi FRID. in Electoratu successit. Princeps in purioris Religionis defendendæ curâ totus, juxta symbolum suum; V. D. M. I. Æ. Hic

Hic *Confessionem Augustanam* exhiberi *CAROLO V.* curavit in Comitibus A. C. 1530. In tumultibus rusticis & certaminibus religionis infractus & invictus, unde *Constantis* elogium meruit. Beatè obiit d. 13. Aug. A. 1532. Ubi prius ex priore Matrimonio cum *Sophia*, Dn. *Magni*, Ducis Megapolitani Filiâ suscepisset Filium unicum.

V. 103. *JOHANNEM FRIDERICUM*] Cogn. *Magnanimum*, *ELECT. VI.* N. Torgæ d. 30. Jun. A. 1503. cruce aurea in natiuitate sua insignem, teste Bucholcero. Confessor fuit doctrinæ repurgatæ constantissimus: Tutorio nomine per octennium primum administravit Provincias, nomine Fratris *Johannis Ernesti*. Carolo V. Imp. ob denegatam sibi prius desponsatam sororem suam, Catharinam, Philippi I. Regis Hispan. Filiam, A. 1519. bellum indixit; Sed postea in prælio ad Mülbergam A. C. 1547. sauciatus & captus, septemviralem dignitatem amisit: post quinquennalem captiuitatem A. 1552. patriæ restitutus, adhuc biennio superfuit. Placidè namque obiit ex asthmate Vinar. d. 3. Martii A. C. 1554. h. 9. pomerid. De Principe hoc glorioso Dn. *Andreas Wilkius*, Rector olim Gothanus meritis. Orat. 37. p. 1041. ita scribit: *Erat Princeps ille ab omni eruditione ornatissimus, vitæ, morumque probitate laudatissimus, inter Germaniæ Principes opibus & potentiâ facile primus, nutricius Ecclesiæ & Scholarum singularis, salutifera Evangelij doctrinæ Confessor fortissimus, Pater Patriæ justissimus.* Quatuor ipsi fuerunt Filii, *JOHANNES FRIDERICUS II.* N. d. 8. Jan. 1529. qui expugnata arce Gothana ab Imperat. Maximiliano II. captus, & ut captivus Stiriaë in Austria defunctus 9. Maij 1595. Coburgi sepultus fuit. *Stirps Ducum Coburgensium.* Alter *JOHAN - WILHELMUS I.* N. Torgæ 3. Martii, A. 1530. qui Acad. Salanam restaurarunt: Hic obiit d. 2. Martii, A. 1573. Unde *Duces Saxonie* lineæ *Altenburgensis* & *Vinariensis* stirpem trahunt. Illi quidem à Filio Ejus *FRIDERICO WILHELMO*, N. 25. April. 1567. & Mortuo post aliquandiu gestam Electoratus Administrationem à morte Dn. *ELECT. Christiani I.* d. 7. Jul. A. 1602. Hic verò ab altero Ejus Fil. *JOHANNE*, N. d. 22. Maji, A. 1570. & Denato d. 31. Octob. A. 1605. C 2 V. 112.

V. 112. **MAURITIUS] ELECTOR VII.** Henrici Pii Fil. & Alberti animosi Nepos. Huic namq; duo cum essent relictii Filii, *GEORGIUS Dives*, Papæ addictissimus Cliens, qui Fratrem *HEINRICUM Pium*, N. 16. Martii, 1473. Evangelii propugnatores, hæreditate excludere, sed frustra, Deo sic disponente, conatus est. In mediis enim his consiliis abripitur d. 17. April. A. 1539. Hic potitus fratris divitiis, cum *Catharina Illustris*. Ducis Meclenb. *Magni* Filia duos suscepit Filios *MAURITIUM* d. 11. Maji, A. 1521. qui loco captivi Electoris *JOHANN-FRIDERICI*, in castris ad Witebergam *ELECTOR* à Cæsare proclamatus A. C. 1547. Magdeburgum in gratiam Cæsaris diuturna obsidione fatigavit: tandem cum *Alberto* Brandenburgico acie congressus, prope Brunsvigam trajecto globo periit d. 11. Jul. A. 1553. *Conditor Scholarum Ducalium Misnensis, Grimmensis, & Portensis.* Huic Frater Illustrissimus succesit.

V. 120. **AUGUSTUS] Cogn. Pius, EL. IIX. N. 31.** Jul. A. 1526. qui *Formulam Christianæ Concordiæ* conscribi curavit, *Constitutiones* forenses & politicas per Electoratum publicavit, Literas fovit, Doctos promovit, Scholas superiores & inferiores amplificavit, & curam sinceræ Religionis habuit præcipuam. De quo *Frischlinus*:

*AVGVSTVS Princeps, divum genus; aurea terris
 Secula qui patriis antiqua lege reduxit.
 Nec dux Saxonice quisquam de gente vetustos
 Extulit in tantum Proavos, nec Misnica quondam
 Ullo se tantum jactavit Principe tellus.*

Placidè obdormivit Dresdæ d. 11. Febr. A. 1586. ex *Illustris*. Conj. *ANNA*, Christiani III. Serenif. Regis Daniæ filiâ, (N. d. 22. Nov. A. 1535. & Mortua d. 1. Octob. A. 1585.) suscepit post octoniam prolem masculam immaturè denatam

V. 148. **CHRISTIANUM I.] ELECT. IX.** N. 3. Nov. A. 1560. qui aulicorum consiliis illectus, ut dogmati de absoluta electione & reprobatur. hominum, subscriberet, celeri fato obiit d. 24. Sept. A. 1591. Cæteroquin Princeps laudatissimus Dresdam reddi-

reddidit munitiorem, domumque pro *Gazophylacio & Equorum Statione* exstruxit amplissimam. Hic cum *Sophiâ Illustris* Elect. Brandeb. Joh. Georgii II. filiâ genuit

V.154. *CHRISTIANUM II.*] *ELECT. X.* Nat. 23. Sept. A. 1583. qui primo decennio sub tutela Dn. Friderici Wilhelmi Ducis Saxoniae lineae Vinariens. egit, postea Electoratum ipse administravit, præterq; alia egregiè gesta, Academias & Ecclesias Saxonicas à Calviniano dogmate repurgavit, & politiam rectius constituit, subditos amavit & defendit, piè obiit d. 22. Junii A. 1611.

V.179. *Atq; utinam PATREM*] Innuitur Illustris. Dn. Parentis Christiani I. gl. m. obitus, Illustr. Dnn. Filiis præmaturus, dum ille octennis, hic verò vix sexennis curæ educationis pientissimæ Matris *SOPHIÆ* fuit relictus.

V.188. *Dat rata Vota DEVS*] Quâ fuerit in superstitem Dn. Matrem pietate & filiali cultu Filius illustrissimus à tenera ad provectam usque ætatem, fama loquitur, & testatur Numisma Electorale, honori Illustrissimæ Matris publicè impressum cum hac *ἡμετέραν* in uno latere: *HONOREM HABEBIS MATRI OMNIBUS DIEBUS VITÆ TUÆ*: cum effigie *R. Salomonis*, matri sellam à dextris suis statuentis, cum hoc lemmate: *UT SALOMON, SIC EGO MATREM*. In altero latere supplicem veluti Matrem pro salute Filii expressit, cū his verbis: *DITANT VOTA MATERNA*. Et in extremitate: *MATERNIS PRECIBUS NIHIL FORTIUS*. Quam pietatem Deus Celsit. Ejus non solum laudatissima educatione, sed & largissima benedictione vitæque longævitate ex promissione IV. Præcepti remensus fuit.

V.194. *Post ubi bulla*] Describitur *ἡ ἐπιτύχη* Institutio principis Juvenis laudatissima. Moris erat apud Romanos, ut pueri nobilium usq; ad annum 17. (qui annus tirocinii dicebatur) Toga prætexta & bulla aurea uterentur, ex instituto Tarquini Prisci, ad omen & vota conciliandæ virtutis ei similis, cui primis in annis munera ista cessissent. *Vid. Macrobi. lib. 1. Saturnal. c. 6. Demster. l. 5. c. 32.*

V.224.

V.224. *Ergò domi hant.*] Cum ingentis animi specimen sit amore Virtutis ferri extra patriam, & Viro Principi ad prudentiam dextrè imperandi multum commodet, Serenissimus Dn. Elector, glor. mem. *peregrinationem in Italiam & Venetias*, non sine magno periculo sumtu & labore annuo instituit à die 16. Kal. Febr. A. C. 1601. usque ad 5. Id. Febr. A. 1602. ubi summo cum plausu patriæ, Sereniss. Matris & Dn. Fratris sospes & incolumis domum rediit.

V.251. *Ferasque sequi.*] Studium venandi, Viro Principe dignum, sanitati & recreationi animi admodum conducibile, Sereniss. Dn. Electoris Celsitud. in deliciis & exercitiis habuit præcipuis, à prima adolescentia in seram usque ætatem, gravioribus tamen pro patriæ salute curis præhabitis & exantlatis.

V.270. *SIBYLLA ELISA:*] *Primum Conjugium* Sereniss. Dn. Electoris glor. m. cum illustrissima Principe Sponsa *SIBYLLA ELISABETHA*, Dn. Dn. *FRIDERICI*, Ducis Würtemb. & *SIBYLLÆ* Anhaltinæ, Filia, celebratum Dresdæ d. 1. Octobr. A. C. 1605. Cujus tamen beatus obitus mox die 20. Jan. A. seq. 1606. ibidem nulla relicta prole, fuit consecutus.

V.284. *Secundus amor:*] *Alterum Conjugium* cum Illustriss. Dn. *ALBERTI FRIDERICI*, Marchionis Brandenburgens. & Ducis Borussiae Filia, *MAGDALENA SIBYLLA*, consummatum feliciter Torgæ d. 19. Julii A. C. 1607. cui illustrissimæ atque mœrentissimæ Viduæ superstiti, post viva Spiritus S. solatia, tranquillam & vegetam senectutem, stabilem felicitatem, omniaque quæ hujus *in exemplum fermè sine exemplo* divinitus Orbi Christiano propositæ *MATRIS PRINCIPIS*, vota esse possunt, subjectissima mente calidè precamur.

V.306. *DENA datur PROLES:* Manifestissimum divinæ benedictionis in Illustriss. hoc Conjugio Secundo, verè secundo, documentum. Ex quo licet divina Manus, quæ dederat, partem sibi suam decerperet, dum (1) Princeps Filius mortuus ederetur d. 18. Jul. h. 12. noct. A. 1608. Subsequentes tamen illustriss. Principes utriusque sexus effloruerunt longa annorum serie felicissimè. (2) *SOPHIA ELEONORA*, N. d. 13. Novembr. A. 1609. Elocata Illustriss. Dn. Landgrafio Haslæ

Hasſiæ Georgio, d. 1. Aprilis, A. 1627. (3.) *MARIA ELI-*
SABETHA, N. d. 12 Nov. A. 1610. elocata Illuſtris, Dn. *Fri-*
derico, Duci Holſatiæ A. C. 1630. m. Mart. &c. (4.) *CHRIS-*
TIANUS ALBERTUS, N. 4. Martii, denatus 11. Aug. A.
 1612. (5.) *JOHANNES GEORGIUS II.* N. 31. Maji, h. 6. ma-
 tut. A. 1613. Cujus Illuſtr. Conjux *Magdalena Sibylla*, Illuſtr Dn.
 Dn. *Chriſtiani*, Marchion. Brandeb. N. d. 27. Octobr. A. 1612. con-
 juncta, d. 13. Novembr. A. 1638. (6.) *AVGVSTVS*, N. d.
 13. Auguſt. h. 5. Vesp. A. 1614. Archi - Episcop. Magdeburg.
 primū poſtulatus *Coadjutor*, deinde *Archi-Epiſcopus*, & deniq;
Administrator exoptatiſſimus, Illuſtris. Conjux *Anna Maria*,
 Illuſtr. Dn. Dn. *Adolphi Friderici*, Ducis Megapolitani Fil. elo-
 cata d. 10. Decemb. A. 1647. (7.) *CHRISTIANUS*, natus d.
 27. Octob. A. 1615. Illuſtr. Coniux *Chriſtina*, Dn. Dn. *Philippi*,
 Ducis Holſatiæ Fil. ducta m. Nov. A. 1650. (8.) *MAGDALE-*
NA SIBYLLA, N. 23. Dec. A. 1617. elocata primū Sere-
 niſ. Princ. Daniæ *Chriſtiano*, A. 1634. deinde Illuſtris. Duci
 Saxo-Altenb. Dn. *Friderico-VVilhelmo*. A. 1652. (9.) *MAV-*
RITIVS, natus d. 28. Mart. A. 1619. Illuſtr. Coniux *Sophia*
Hedwig, Illuſtris. Ducis Holſat. *Philippi* Filia, ducta menſ.
 Nov. 1650 cui piè in puerperio defunctæ d. 7. Octob. A. 1652. ſuc-
 ceſſit in matrimonio ſecundo *Dorothea Maria*, Illuſtris. Dn.
VVilhelmi, Ducis Saxonix Filia, menſ. Julio, A. 1656. (10.)
HEINRICVS, natus d. 27. Jnnii & præcoce fato extinctus d.
 15. Auguſt. A. 1622. Quibus piè in Domino defunctis beatam
 in monumentis ſuis requiem, & glorioſum olim ad vitam cœ-
 leſtem reditum, ſuperſtitibus verò Illuſtriſſimæ *RVTÆ SA-*
XONICÆ GERMINIBVS, & qui ex his ad finem uſque
 mundi propullulabunt, *SVRCVLIS*, vitam prolixam, pacem &
 concordiam firmam, ſortemque perpetuò florentem toto animo
 devotiſſimè comprecamur.

V. 350. [Incluta *RVTÆ*.] Inſigne hoc dimidii ſerti rutacei Illuſtriſſi-
 morum Saxonix Ducum primū ab Imperatore Rom. *FRI-*
DERICO I. Dn. *BERNHARDO II.* Alberti Urſi, Marchi-
 onis Brandeb. & Comit. Aſcanienſ. Filio fuit collatum. A. C.

1180. cum simul Dux Saxoniae ab eodem factus, & Urbibus aliquot, Witteberga, aliisque donatus esset: idque propterea, ut discrimine aliquo à fratribus distingueretur, & gratiae hujus Cæsareæ hoc symbolo per omne ævum recordaretur: cum antea Duces Saxoniae à tempore Witekindi ad fidem conversi, A. C. 785. pullum equinum candidum in scuto rubro ab Imperatore Carolo Magno huic collatum pro insigni habuerint. Vid. Chron. Calvis. p. 830. Spangemb. c. 239. p. 270. Crantziius lib. 5. cap. 25. p. 108. Nos pro perpetuo *RVTÆ SAXONICÆ* flore sic supplicamus hoc Chronodisticho:

*Hæc sacra Rvta DIV feLICI fLore Vlgescat,
Ipsa fIDES, pax, greXqVe plê serVata preCantVr.*

V. 365. *Ad trabeam & fasces*] ad successione[m] scil. in Electoratu à morte Illustr. Dn. Fratris, *CHRISTIANI II.* quæ incidebat in A. C. 1611. d. 23. Jun. h. 10. noct. cum natus fuisset annos 27. mens. 9. dies 23.

V. 374. *Mortuus est PAN]* PAN montium & sylvarum Deus habetur, & Numen tutelare Pastorum: Symbolum Naturæ & Universi, unde & nomen à τὸ πᾶν, totum, vel Omne, traxit. Vid. *Macrob. l. 1. c. 22. saturnal. & Taubm. in Cul. p. 61.* Cum aliquando Nauta quidam Thramnus in magno constitutus periculo, Navarchæ jussu alta voce proclamaret: *PAN MORTUUS EST:* derepente horrendus ejulatus, & mugitus per mare fuit auditus: quasi tota natura lessum Deastro huic fecerit, teste *Eusebio lib. 5. de prepar. Evangel.* Quod quare ad gloriosiss. Dn. Electorem traxerimus, suspiria & ejulatus totius Christianæ Orthodoxæ Ecclesiæ, lacrymæ totius Illustriss. *DOMUS* Saxonice, planctus totius Patriæ & omnium subditorum affatim loquuntur.

V. 386. *Cæsareis aquilis*) Quanta fide, cura & constantia Sereniss. Dn. Elector pro Majestate Cæsarea, & in columitate Legum fundamentalium Imperij Rom. steterit, ac decertaverit, vel exinde liquet, quòd A. C. 1620. Budisfinam expugnaverit, totamque Silesiam atque Lusatiam Cæsari subjecerit: neque verò illas partes unquam deseruisset, nisi in communem tractus cum reliquis Evangelicis conditionem, pro aris & focus dimi-

dimicare coactus fuisset, qui sub medio tamen armorum strepitu pacis semper fovit consilia. Cæteroquin aquilæ pro vexillis, aut legionibus apud Romanos usurpatæ nulli eruditorum ignorantur. Sub sola Aquila omnes legiones ducebantur, & sub ea sola pugnabatur, referente *Plin. lib. 10. c. 4. Fl. Josepho l. 3. bell. Jud. c. 5.* vel quia illa avium regina, ut illi gentiū domini; vel quod ejus ductu Jupiter Titanas profligasset. *Servius ad 9. Æneid v. 161.*

Pedibus Iovis armiger uncis.

Claud. lib. 1. de laud. Stilicon.

Felices aquilas quocunq; movebas.

V. 391. *Lipsia Testupuit*) Prælium capitale ad *Lipsiam* cum Exercitu Cæsario A. 1630. commissum, in quo Celsitud. Ejus caput niveum præsentissimo periculo pro patriâ & vera religione avita exposuit, CUM DEO ET VICTRICIBVS ARMIS Gloriosissimi Herois GUSTAVI ADOLPHI, Regis Suecorum, beatisf. recordat. Victoria clarissima potita. cui nec in altero propè *Lucenam* d. 9. Novembr. A. C. 1632. in quo gloriose vincendo occubuit, auxiliis suis defuit. *Jubilæum* insuper celebravit per Saxoniam universam triplex: Primum A. C. 1617. ob factum *Reformationis* Pontificiæ per B. Lutherum initium: alterum A. C. 1650. die 25. Jun. ob exhibitum Cæs. Carolo V. in Comitibus Augustanis fidei orthodoxæ *Confessionem*, cujus v. 398 fit mentio. Tertium Religiosæ pacificationis *Passaviensis* A. C. 1655. d. 25. Septembr.

V. 416. *Nobile pacis opus.*) Quantum promoverit *Sereniss. Dn. Elect.* glor. mem. Pacis universalis primum *Monasterii & Osna-brugæ*, post *Norimbergæ* habitum negotium, acta loquuntur publica, in tantum certè, ut suo meritò *PACIFICI* encomio post fata suprema veniat ornandus. Cujus Illustrissimis Manibus ipsa *Irene*, aut grata potius, pacis dotibus aucta posteritas, æternum benè precabitur.

V. 456. *Querna corona*) Celeberrima hæc apud Romanos erat, nec dabatur, nisi ei, qui civem in acie, aut obsidione, aut alio vitæ periculo servasset, dicta propterea *civica*. Hac coronandum *Ciceronem* L. Gellius censuit, quod ejus operà pestilentis-

F

fima

ſima *Catiline* contra cives Romanos nobiliſſimos detecta vindicataq; fuerit conjuratio: quippe juxta *Juvenalem*, Sat. IIX.

Roma PATREM PATRIÆ Ciceronem libera dixit.

Hanc omni jure ſuo meruiſſe dudum *Sereniſſ. Dn. Electorem*, *glor. m.* erepta toties periculis & præſentiſſimo interitu tota Patria uno ore fatetur: ſed huius loco iam impoſitus eſt ejus capiti $\sigma\epsilon\phi\alpha\nu\theta\ \alpha\mu\alpha\rho\alpha\nu\theta\theta\ ,\ \kappa\alpha\iota\ \alpha\phi\theta\alpha\rho\lambda\theta\theta\ ,$ ſive immarceſſibilis gloriæ corona, 1. Cor. 9. 25.

V. 464. *Ut fautor amaverit artes.* Fruſtra hîc calamus in glorioſi hujus Herois laudes ſeſe diffundat, ſi quantis ſuntibus Pietatis ac Studiorum ſedes, Academies & Scholas, docentium ac diſcentium cœtus, erogatis largiſſimis ſtipendiis ac redditibus annuis conſervaverit, enumerando deſcribere, nedum exornando deprædicare præſumat. Non deſinent Electoralem hanc munificentiam admirari poſtera ſecula, imò ipſa æternitas eadem intuebitur.

V. 487. *Cui pia Canities*) Uti annorum, ſic & Nepotum numero *Sereniſſ. Celſitut. beatiſſ. Dn. Elect.* ferè omnes Imperii Status & Familias ſuperavit, idque exemplo vix ante hæc tempora audito, & per ſeculorum memoriam conſervando. Cujus inſignes prærogativas præ Majoribus, aliisque Germaniæ Principibus in Emblemate ſuo ingenioſè deſcripſit Vir *Magniſ. Dn. Burchardus Berlichius*, *Jctus, & Conſil. intim. Dresd.* Vixit autem *Seren. Dn. ELECTOR* glorioſè annis *LXXI.* menſ. *VII.* dieb. 2. hor. 18.

557. *Viridemque Amaranthum.*) $\alpha\mu\alpha\rho\alpha\nu\theta\theta\os$, flos virentiſſimus, Germ. *Zauſendſchön*/ ab immortalitate nomen traxit, ſcil. ab (*a*) privativo, & $\mu\alpha\rho\alpha\iota\nu\theta\mu\alpha\iota$, tabeſco vel marceſco, quoniam nunquam marceſcit, *Plin. l. 21. c. 8.* *Amarantho* autem ornari ſepulchra ſolita fuiſſe ſcribit *Philoſtratus*, initio à Theſſalis orto, qui Achillis tumulum ad eundem modum coronarunt, citante *Cel. Rhodig. lib. 17. Antiq. L. c. 21. p. 798. c.*

V. 562. *Iſaide ſimilis*) Elegantiſſimam, ſimul ac ſpiritu ingenioque pleniffimam, *Davidis* Regis Iſraëlitici cum *Sereniſſ. Dn. Electoris* gl. m. Celſitudine Comparationem in Concione ſua ſoleni Funebri *ex cap. 30, v. 28. 1. Chron.* inſtituit *Theologus celeberrimus*

rimus

*rimus Dn. D. Johannes Olearius, Illustris. Aula Magdeb. Con-
cionator & Confessionarius gravissimus: quoad προσωπογε-
φίαν, Ιανατολογία & ευδαιμονολογίαν, quæ lectu dignissima
heic quoq; videnda.*

610. *AUGUSTUM defende*] Hæc Votorum nostrorum Summa
est ac fastigium, quo divina Bonitas Reverendissimum atq;
Illustrissimum Principem ac Dominum nostrum, PATREM
PATRIAE benignissimum, purioris Religionis ATLANTEM
fortissimum, *Incluta Domus* suæ HERCULEM TUTELAREM
fidissimum, *Virtutum* ac inde resultantium encomiorum in
Maioribus suis conspicuorum HAEREDEM gloriosissimum,
Musarum STATOREM munificentissimum, omni encomio
nostro superiorem, cum tota *Illustrissima Familia* sospitem ac
florentem, pacis ac quietis exoptatæ munere omniumque
votorum principalium, Saluti publico-privatæ militantium,
impletione beatum servare his terris, totique orthodoxæ Ec-
clesiæ quàm diutissimè dignetur!

Sit PATER AUGUSTUS celsâ cum CONJUGE felix,

Illustris PROLES sit benedicta DEO!

NATORVM NATOS, & qui nascentur ab illis

Cernat, & incolumis VIVAT in orbe diu!

V. 633. *Generose Baro*] DN. HEINRICUS, Liber Baro à
Scherffenberg/ Dominus in Hohenwang/ Ober-Rahnberg/ Spillberg
& Rabenstein/ etc. Convictor & auditor noster charissimus.

V. 640. *Mens benè grata*) Quod si ingentia Serenissimi Dn. ELE-
CTORIS in totam orthodoxam Ecclesiam, omnesque eidem
addictos religionis veræ socios æstimemus merita, æternas
deberi grates sanctis placidè consopiti Manibus, & vigentem
in animis perpetuo gloriosi NOMINIS memoriam, nemo nisi
sui oblitus, inque omnem Justitiæ regulam injurius, ibit in
fitias. Huic igitur PRINCIPI INCOMPARABILI, ET PRINCIPUM
PER EUROPAM MIRACULO, in subjectissimæ gratitudinis pro
illustrissima olim munificentia quaecunque redhostimentū
æternumq; devoti cultus in superstites Illustrissimos HAERE-
DES sacramentum, Illustrissimis cineribus perenne hoc statu-
imus, quantum quidem calami nostri valet imbellia

ΕΠΙΤΥΜΒΙΟΝ.

ENSIGERUM. SENIOR. DUX. JANUS. SAXO. GE-
ORGUS.

IMPERII. COLUMEN. SPES. PATRIÆQUE. PATER.
PACIFICUS. CONSTANS. JUSTUS. PIUS. ATQUE
BENIGNUS.

MVSARVM. TVTOR. RELIGIONIS. HONOR.
COELI. DEPOSITVM. SORTIS. MEMORABILE. DIGMA.
RVTE. SAXONICÆ. GLORIA. FAMA. VIGOR.
OMNIBVS. ILLUSTRIS. VIRTVTVM. DOTIBVS. HEROS.
DEFENSOR. POPVLI. DELICIVMQVE. SVI.

(Septenos DeCies & bInos VoXerat annos,
PræfVerat popVLo LVstra noVena sVo.)

MAJORUM. TVMVLO. MORTALIA. CONDIDIT. OSSA.
ENTHEA. MENS. SANCTOS. SED. VIGET. INTER.
AVOS.

S. T. T. L.

Ita Herois divini sacro funeri venerabundus
humilimè parentabat

FRID. CAHLENUS.



Handwritten in blue ink:
K. 3561

Handwritten in blue ink:
M C

Handwritten in blue ink:
K 17

O. GE

ATER.
TOVE

R.
GMA.

EROS.

OSSA.
NTER.

S

VUS.

ULB Halle

3

004 808 10X





PIETAS
debita, ut
bonis literarum
triennali
sima civis
marente a

Hun
DN. EL
publico Ma
tiosissimo Il
net heredu
clitari perm
vultu qual
aternis mer
laboro, hun
tissimè pati
infelix hic c
Bonitas glo
largiatur, l

Spiran
aut potius, u
rumba Elect
reditum. Illu
va solatii cœ
Ecclesie, Pa
florentem ser
lubens desin

simis MANIBUS
ta ac educatum,
nbutum, ibidemq;
rdarer, ingratis
ti luctus securus,
tem tenerem,
m, quo Serenisf.
ES supremum in
tu salutavi, gra
lius gloria perti
sto, lucemq; peri
simo gratia sue
mque referenda
istiana subicere
bari sibi clemen
us exprimendis
mè, ut Divina
NTIS Funeri

er;
tranquillam in
itam gloriosam
sf. DOMUI vi
ato rerum statu
superstitem ac
validissimo Voto

ud. V.
LENUS P. L. C.
DE.

